



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

ordinatissima & efficacissima, dum-
modò illis ut bonos Christianos decet
bene utamur, videlicet morum refor-
matio secundum Evangelium Christi,
perseverans, humilis, & communis fi-
delium, charitatis vinculo unitorum,
inter sese oratio, & bonorum ope-
rum multiplicatio; potissimum ve-
rò quotidiana Sacrificii Eucharistici
oblatio; sancta ac frequens Commu-
nio. De quo tertio medio, hæc memo-
randa sunt.

NUMERUS XIII.

*Ut Deus exercituum, per Divinam
Eucharistiam omnium victricem,
extendat potentiam Brachii sui,
effundens iram suam in hostes fi-
dei: tollantur scandala è Templis di-
catæ Sanctissimæ Trinitati, & è ca-
stris fidelium.*

§. I.

 I per totum orbem Christia-
num, Divina Eucharistia, eâ,
quàm tanta Majestas in illa sub-
stantialiter residens, meritò ab omni-

bus exigit, reverentiâ & devotione adoraretur à fidelibus: & à Sacerdotibus immolaretur: brevissimo tempore, inimici Religionis nostræ debellarentur, & ad Orthodoxam fidem, Christianorum pietate universali, converterentur. Verùm nimis frequenter accidit, ut per corruptos malorū Christianorum mores, effrænata vivendi in castris libidinem; scandala & sacrilegia, quæ in Templis ipsis videmus; nomen Sanctissimæ Triadis & JESU-CHRISTI blasphemetur inter gentes. Enimverò si Turca, vel Judæus aut Paganus aut ex infidelium & Hæreticorum sectis aliqui, assistant Divinissimo Ecclesiæ militantis Sacrificio, quando est magna multitudo populorum, quid cogitabunt? quæ erunt animorum illorum sensa? quid dicent? aut potius, quid non dicent: videndo tot indigna in medio Sanctuarii. Nonne in suis erroribus obfirmato animo permanebunt, & Religioni nostræ maledicent maledictione pessimâ? nonne eò illos impellunt suâ irreverentiâ & impietate omnes illi, qui fidem quam verbis astruunt, factis pessimis,

criminibus & scandalis destruunt! nonne per illos nomen Dei blasphematur inter gentes, quæ irrident & contemnunt Sacro-Sancta Ecclesiæ Catholicæ Mysteria?

Hi sunt de quibus dicit Apostolus, quod ipsis infidelibus deteriores sunt: Etenim Domum Dei vivi, Domum orationis, Templum cultui Augustissimæ Trinitatis consecratum, & Sanctuarium Altissimi, convertunt in speluncam latronum: ubi non viles pecunias, sed corpora ipsa quæ membra sunt Christi, & animas ipsas fidelium, in Sanguine Dei-Hominis renatas, ab Altari Dei vivi avulsas, per summum scelus, Asmodæo Demoni impudico sacrificant. Hæc est una ex abominationibus desolationis Ecclesiæ Dei vivi: ecce idolum voluptatis in Sanctuario Sanctissimæ Triadis quid turpius! quid Divinæ Majestatis ignominiosius! qui hæc legit intelligat: nonne una hæc est ex universalioribus causis, cur justo irati Numinis judicio, tot urbes Christianorum cadant in potestatem Turcorum? & tot Tempora Divino cultui dicata, in sacrilegas &

infames Mahometanorum ædes con-
versas, videmus, lugemus, & abo-
minamur.

Proh dolor! ubi adorabatur Deus,
unus, trinus, ibi adoratur Diabolus,
cum Angelis ejus! ubi Sanctissimum
Missæ Sacrificium, Agni Dei Imma-
culati, quotidie Augustissimæ Trini-
tati offerebatur; ibi omnes abomina-
tiones gentium, die noctuque exercen-
tur, in opprobrium Nominis, Cru-
cis, & Eucharistiæ Corporis, & San-
guinis Christi JESU. Hanc Dei iram
in orbem Christianum accendunt,
qui ejus Tempia violant, mox à Deo
ultore ipsimet disperdendi. Exurge
Deus exercituum omnipotentissime,
ulciscere tot sacrilegia Christianæ Re-
ligioni ignominiosa, disperde im-
pios, expelle è regno tuo sævissi-
mos Nominis tui hostes: contêre ini-
micos tuæ Ecclesiæ, quam acquisivi-
sti sanguine proprio: fac novam po-
tentiam in brachio tuo, renova mira-
cula tua per Sacramentum omnium
mirabilium tuorum maximum, ut
sciant gentes, quia tu solus es Deus:
da gloriam novam tuo Sancto Nomini

per hoc admirabile Sacramentum :
quod est Myſterium fidei, novum opus
omnipotentis brachii tui, & totius
mundi victoria, ac triumphus inferni.

NUMERUS XIV.

*Mirabile victoria, virtute Eucha-
ristie, omnium Dei mirabilium
maximi, per Christianos Principes
de fidei inimicis reportata.*

S. I.

Antiqui Gentiles, solem hunc
visibilem, certaminibus præ-
fidere crediderunt: tanquam
ducem exercituum. Ideò Persarum
Reges, cùm ad Bellum procedebant,
solis imaginem, globo cryſtallino in-
clusam in medio castrorum, in subli-
me elatum, omnium oculis exhibe-
bant, ut ab omnibus invocaretur ad
felicem Belli exitum; sed nulla socie-
tas fidelibus cum infidelibus. Sciunt
Christiani solem justitiæ, non alium
esse, quàm JESUM-CHRISTUM;
& omnes Catholici, solem hunc my-

K 4